



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



TM 0736

Predor Mahlmann

10. Juni 1998

*

DISPUTATIO META-
PHYSICA
De
SUBSTANTIA
INCREATA, DEO
OPTIMO MAXIMO.


Quam
AUXILIANTE EODEM,

Fretus patrocinio

CLARISSIMI ET ACUTISSIMI
PHILOSOPHI, DN. JOHANNIS-HENRICI ALSTE-
DII, Professoris in illustri Nassoviorum Gy-
mnasio, publicè examinandam
proponit


JOHANNES IRLÉN, SIGE-
NENSIS, NASSOVIUS.

Deus honoratur silentio & voce.



Herbornæ Nassoviorum, 1615.

Michel 20



REVERENDO ET CLARIS-
SIMO VIRO, DN. HERMANNO RA-
VENSPERGERO, S S. Theologiæ Doctori,
ejusdemq; facultatis in illustrissima Ordinum Aca-
demia, quæ est Groningæ, Professori, & pro tempo-
re Rectori Magnifico, ut & Inspectori Ecclesiarum
Benthemicarum vigilantissimo, Domino avunculo
jugiter suspiciendo.

Consultissimo & præstantissimo viro, Dn. ANTONIO JUNG,
illustris & generosissimi Comitis ac Domini, Domini Johan-
nis Senioris Comitis in Nassau, &c. quæstori gravissimo, Do-
mino avo suo honorando.


Gravissimo & spectatissimo viro, Domino JOHANNI PEIF-
FERO, Scabino apud Sigenenses dignissimo, & pro tempore
proconsuli meritissimo, Domino avo suo semper colendo.

Reverendo & eximio viro, Domino HENRICO PITHA-
NIO, verbi divini apud Altenkirchenses ministro fidelissimo,
agnato & amico jam inde à primis annis dilectissimo.

Spectatissimo & prudentissimo viro, Domino JOHANNI
DILPHIO, Scabino Dilleburgensi gravissimo, Domino
affini & fautori suo venerando.

Hanc disputationem inscribit & offert

JOHANNES IRLÉN, Author
& Respondens.



DISPUTATIO METAPHYSICA
De
SUBSTANTIA INCREA-
TA, DEO.
ISAGOGE.

IACOBUS SCHEGKIUS nobilis Philosophus *libro 1. topicorum* elegantissimè ait: Quibusdam Logodædalis persuasissimum est, Philosophiæ ἀκευβεία contaminari Theologiam, cum nullâ re magis tamen depravetur veritas quam inscitâ veræ & solidæ philosophiæ. Schegkio subscribit Gesnerus Theologus, citante *Jacobo Martini in præf. exercit. metaph.* Deploranda profectò (inquit) Academiarum nonnullarum infelix conditio, quòd quidam superioribus annis, dum Scholasticorum Theologiam, seu potius matæologiam, extirpare ex omnium hominum animis conati sunt, simul etiam omnem veram philosophandi rationem è scholis publicis & Academiis profligarunt, quasi abusus rei non tolli posset, nisi res ipsa è medio removeretur, quasi infantem abluere mater nequiret, nisi eundem profus in flumè abjiceret. *Et paulò post:* Hinc adeò ruditas illa & inscitia rerum Physicarum, Ethicarum, Politicarum & *Metaphysicarum*, ut oracula & incantatorum præstigiæ nonnullis videantur, quæcunq; è penitioribus philosophiæ recessibus depromuntur. Hæc ita se habere cum ex omnibus disciplinis philosophicis, tum maximè ex primâ philosophia, quam dicunt *Metaphysicam*, cernere licet. Inprimis hoc evadet manifestum, si terminos generales, quos vocant transcendentis, substantiæ primæ, videlicet Deo, applicemus: cujus considerationem naturalem sibi vendicat primus philosophus, ut ex Aristotele, Jacobo Martini, Timplero, Combachio & aliis videre est. Antequam autem de Deo tractemus, aliquid de substantia in genere præmittemus.

Terogamus, Deus Optime Maxime, ut Spiritu sancto nobis ad-
fis, qui mentes nostras illuminet, & nos in omnem veritatem deducat,
Amen.

T H E O R E M A I.

Substantia est ens per se subsistens.

T H E S I S I.

Substantia dicitur quasi subsistentia, à subsistendo, *Isidor. lib. 2. Etyim.*
Aug. 7. de Trinit. eò quod non indigeat alio ad constitutionem, sed
in se & per se existat, hoc est, non existat in alio, tanquam in subjecto in-
hætionis. In hoc enim differt substantia ab accidentibus, quòd acci-
dentia, nisi in subjecto inhætionis sint, existere non possint: ipsa verò
substantia per se ipsam existat ac cohæreat: *Fonsec. lib. 2. dial. c. 10.* Aliis ta-
men videtur dicta substantia à substando, vel quòd substet accidenti-
bus, vel quatenus substare idem est quod subsistere.

2 Substantia accipitur 1. pro quavis re quæ non est accidens,
etiamsi incompleta sit: in qua significatione etiam materiam & for-
mam, & differentias substantiarum complectitur *Arist. 1. phys. c. 6. t. 5.*
8. Metaph. c. 1. t. 3. 2. pro re quæ non est accidens, completa tamen, sic
materia & forma excluditur. 3. pro primis substantiis, quo pacto *Arist.*
7. metaph. c. 13. t. 44. negat genera & species esse substantias. 4. pro parte
substantiæ, videlicet materia & forma.

3 Substantia definitur Ens per se subsistens, id est, non existens
in subjecto inhærentiæ.

4 Substantia & suppositum differunt. Substantia alia est univerfa-
lis, alia singularis. Suppositum est substantia singularis, & illa quidem
completa & incommunicabilis: ut Socrates, Plato. Incompletæ igitur
substantiæ, quæ partes sunt & à toto perfectionem accipiunt, & quic-
quid pluribus communicari potest, suppositi rationem non habent.

5 Suppositum & natura differunt. Natura enim nihil aliud est
quàm essentia rei, sive universalis ea sit, ut animalitas, humanitas: sive
singularis, ut Platonitas, Aristotelitas si veniâ Grammaticorum ita lo-
qui liceat: sed liceat disertissimi Ciceronis autoritate, qui *lib. 3. fam. epist.*
7. dicit Appietatem & Lentulitatē, vocibus hisce derivatis ab Appio &
Lentu.

Lentulo. Unde Henricus Gandavenſis ſuppoſitum creatum ſolo concipiendi ac ſignificandi modo à natura diſtinguit, ut nimirum eadem ſingularis natura dicatur ſuppoſitum, quatenus concipitur ac ſignificatur ut habens, natura autem quatenus concipitur ut habita. Hic quaeritur, *quid ſuppoſitum addat naturæ ſingulari?* Reſpondetur, nihil ab ea realiter diſtinctum, ſed entitatem quandam intrinſecam. Varias vide hac de re philoſophorum opiniones apud *Fonſec. lib. 5. met. c. 8. q. 6. Jacob. Mart. lib. 1. exer. met. 9.*

6 *Persona minùs latè patet quàm ſuppoſitum:* Eſt enim perſonalis naturæ individua ſubſtantia, ut ait Boëtius. Non igitur differunt formaliter, ſed tantùm materialiter. *Suppoſitum* enim dicitur de omnibus individuis ſubſtantiis, *perſona* tantùm de rationalibus. *Perſona* Græcè *πρόσωπον* dicitur: quod vocabulum etiam in ſacris literis reperitur uſurpatum, non tantùm pro qualitate & conditione hominis, quâ unus homo ab alio differt: ut cùm dicunt *λαμβάνειν πρόσωπον*, accipere perſonam, *Luc. 20. v. 21.* ſed etiam pro certa ſingularis ſubſtantiæ quaſi ſpecie: ut cùm Paulus *2. Cor. 1. v. 11.* dicit, *Donum ex multis perſonis* (*ἐκ πολλῶν προσώπων*) in nos collatum. In negotio Deitatis perſonam vocamus ſubſiſtentiam in Dei eſſentia, quæ ad alias relata, proprietate incommunicabili diſtinguitur. Servetus de vocabulo perſonæ diſputans, ex Cicerone demonſtrat, olim ſignificaffe Latinis habitum, aut officii diſtinctionem: & illam ſignificationem ſycophanticè detorquet ad articulum de tribus perſonis divinitatis. Nos verò præſtigias illas (quæ refutatione vix dignæ ſunt) fugiamus, & cum ſancta Chriſti Eccleſia piè loquamur.

7 *Hypoſtaſis & perſona certo reſpectu differunt & non differunt.* *Hypoſtaſis* uſurpatur 1. pro ipſo ſubſiſtendi actu. 2. pro vero eſſe, non pro inani ejus ſpecie. 3. pro eo quod ſub eſt alteri quocunq; modo. 4. pro re quæ ſubſiſtit, ſeu pro ipſa ſubſtantia. 5. pro eſſentia ſubſtantiæ: ita opponitur *τῇ ἐμφάσει*: ut ex phyſicis videre eſt, ubi meteora alia dicuntur *καθ' ἑαυτάσιν*, alia *κατ' ἐμφαſιν*. 6. pro ſuppoſito naturæ intelligentis, & hac ſignificatione idem eſt, quod *perſona*, unde tres *ὑποστάσεις* in una divina eſſentia conſtituimus.

8 *PERSONA ET NATURA* differunt (quemadmodum ex antè dictis colligitur) ut ens & eſſentia entis, ſubſtantia & eſſ.

A 3

rationalis!

sentia substantiæ, concretum, & abstractum, incommunicabile & communicabile, ἀνυπόστατον & ἀνυπόστατον. Zanchius in lib. de trib. Eloh. & uno Jehova cap. 2. Timpl. lib. 4. met. c. 1. q. 12.

9 Substantia quatenus usurpatur pro essentia rei, cum natura convenit in eo: 1. quòd utraq; comparatè dicatur respectu ejus, cujus est natura sive essentia: sic non absolutè dicimus, humanitatem esse naturam & substantiam, sed esse naturam & substantiam hominis. 2. quòd utraq; concipiatur vel simplici cōceptu, ut in adducto exemplo: vel definitivè, ut si dicas naturam & substantiam hominis, quòd sit animal rationale, & naturam ac substantiam peculiarem Platonis esse, quòd sit hic homo. Differt hæc ab illa, quatenus nomen substantiæ, hoc modo sumptum, magis usurpatur in universalibus, quàm in singularibus: nomē autem naturæ æquè in singularibus, ac in universalibus. Fons. lib. 5. met. c. 8. q. 5. f. 3.

10 Quæritur, an unaquæq; substantia recipiat accidentia? Acutissimus Goclenius, & alii nonnulli, distinguunt inter accidentia interna & absoluta, ac externa seu respectiva. Illa à Deo removent, cùm nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus (quamvis enim secundum nostrum concipiendi & intelligendi modum, multa ac diversa considerentur in Deo, hæc tamen ab ipso non realiter, sed ratione duntaxat differunt) Hæc verò eidem attribui posse rectissimè judicant. Etenim non potest Dei natura à nobis uno aliquo simplicissimo conceptu concipi & intelligi: Unde necesse est, ut sub diversis conceptibus instar entium compositorum à nobis comprehendatur. Ideò propter nostrum concipiendi modum multa & varia Dei sunt attributa, partim in naturæ, partim in scripturæ libro revelata, per quæ unica ipsius & simplicissima natura nobis exprimitur & cognoscenda proponitur. Reliquæ substantiæ omnes habent sua interna & absoluta accidentia.

11 Dividunt philosophi substantiam in primam & secundam. Prima, quam alii singularem appellant, idem est ac suppositum in creaturis, seu, est talis substantia, quæ conditionibus individuans est circumscripta: Secunda sive universalis contra.

12 Substantiæ singulares creatæ in abstracto sumptæ, cùm non primò & principaliter, & maximè substantiæ sint, non sunt primæ substantiæ. Fons. l. 5. met. c. 8. q. 5. f. 20.

13 Deus autem, sive divina essentia, ita est prima substantia, ut non sit suppositum: Contra divinæ personæ ita sunt plura supposita, ut ta-

ut tamen non sint plures substantiæ primæ, absolutè & simpliciter dicendæ, sed unica, scilicet absolutè spectata. Sunt enim tres substantiæ primæ respectivè consideratæ.

14 *Universalis substantia verè inest in substantia singulari.* Sublatis enim substantiis singularibus, tolluntur etiam universales, ut ait *Aristot. in Categoria substantiæ.* Inest autem essentialiter, prout genus & species insunt suis individuis, non verò accidentaliter, prout accidentia insunt in subjecto inhærentiæ. *Timpler. lib. 4. met. c. 1 q. 6.*

T H E O R E M A II.

Substantia est vel increata, vel creata.

Substantia increata est Deus.

Doctrina de Deo alia est naturalis, alia supernaturalis. Illa ex Metaphysica petenda: hæc ex Theologia sacra addiscenda est. Nos naturalem de Deo doctrinam maximè hic attendimus, & de eo quatenus naturalis rationis lumine cognosci potest, præcipuè agemus: ubi autem naturale rationis lumen obscuratum est, ex Theologia sacra, quæ ad perfectam Dei cognitionem (in quantum scilicet illa nobis revelata est) desiderabuntur, supplebimus.

T H E O R E M A III.

Deus est Ens, unum, verum, bonum, simpliciter simplex, infinitum, independens & simpliciter perfectum.

T H E S I S I.

Hanc definitionem ex metaphysicis terminis constantem per partes evolvemus, & quidem ita, ut primò terminos generales explicemus, tum Deo applicemus, quod præstantissimi quique Metaphysici fecerunt. Subinde tamen aspergemus quædam è Theologia sacra, ob causam modò dictam.

2 Nomen Dei apud omnes gentes τετραγράμματον est, excepto unico Ungarorum idiomate, quo Deus vocatur Isten, quod tamen si scribatur juxta originem suam, τετραγράμματον quoque erit, hoc modo, *ישׁוּע*. Consule Calepinum, qui ex 25. diversarum linguarum in uno numero convenientia, mysterium unitatis & Trinitatis colligit. Sed hoc annotasse sufficiat.

3 Nomina Dei in sacris literis sunt duplicia: alia essentialia, alia proprietatū. Essentialia sunt hæc tria. 1. *Jehovah*, id est, Ens ille, vel existens ille, ex semetipso vitam & esse, non ab alio habens, ac omnibus esse conferens. 2. *Eheje*, id est, Ero vel Sum, quod creaturis convenire non potest. Nulla enim dicere potest *Ero*, quia volente Deo intereat necesse est; nec *Sum*, quia nulla in se & per se existit. 3. *Jah*, quod idem significat quod *Jehovah*, quippe ex illo contractum. Proprietatum nomina sunt quæ ad aliquam Dei proprietatem referuntur, ut *El* ad fortitudinem, *Schaddai* ad sufficientiam, *Kadosch* ad sanctitatem, *Elohim*, *Eljon*, *Adonai*, *Zebaoth*, ad potentiam, dominium, excellentiam & virtutem.

4 Cùm dicimus Deum *Ens*, intelligimus ejus essentiam cum existentia: quæ realiter in Deo non differunt, sed idem sunt quidditative & identicè, id est, essentialiter. Et rectius Deus vocatur ipsa essentia, quia ipse non habet essentiam, sed est ipsa essentia. Nihil enim de Deo dicitur habitualiter, sed formaliter sive essentialiter.

5 Hic non nihil de essentia differemus. Essentia est rei cujusque simplex & omnibus proprietatibus atque accidentibus spoliata constitutio. Ejus modus variat pro diversis subjectis in quibus inest. Alius enim modus est essentiæ increatæ, alius essentiæ creatæ immaterialis, alius substantiæ materialis, alius accidentium. *Comb. cap. 2. met.*

6 Essentia creata immaterialis simplex est, per carentiam cujuslibet compositionis intrinsecæ: itaque complectitur formam tantum. Creata materialis composita est, & materiam ac formam complectitur. Accidentium essentia pro usurpatione varia accidentis variat.

7 Essentia increata simplicissima est, ab omni materialitate libera, nec composita, nec componibilis; quam non cognoscimus ex nobis ipsis: sed per causas secundas devenimus aliquo modo in aliquod esse causæ primæ, juxta participatum illud esse, quod à causa prima in causis secundis est.

8 Cùm nominamus essentiam Dei, non intelligimus commune aliquid, ad quod tres Deitatis personæ adjungantur, sed id in quo toto & eodem singulæ illæ subsistunt, suis substantialibus proprietatibus distinctæ.

9 Attributa divina (sicut & personæ sanctæ Trinitatis) non arguunt aliquam in Deo compositionem, Nam illa non differunt ab essentia

sentia realiter, sed tantum ratione: & à se invicem non differunt, nisi virtualiter: quatenus alia atque alia effecta ipsorum constituuntur. Hæ verò licet differant ab essentia realiter; non tamen essentialiter sed suppositaliter differunt, hoc est, ut tria supposita respectiva, quæ nullam important compositionem, sed tantum distinctionem.

IO Porro essentia realis & existentia æquè latè patent. Ea enim sola & omnia veram habent existentiam, quæ habent realem essentiam. *Fons. l. 6. met. c. 1.*

II Differt tamen existentia & essentia in creaturis realiter, sive, ut Fonsca loquitur, existentia creaturarum distinguitur ab illarum essentia ex natura rei, non tamen formaliter, sed tanquam ultimus ejus modus. In Deo verò planè idem sunt, nisi quòd à nobis secundum rationem nostram distinguuntur. Essentia enim Dei, sibi ipsi non potest superaddere existentiam; addere enim existentiam, aliud nihil est, quàm ex potentia in actum trahere. Cùm itaque nihil seipsum trahat in actum, nisi existentia identificetur essentiæ, in Deo prior quædam causa esset, à qua in actum ex potentia deduceretur. Nullo igitur modo existentia & essentia in Deo differunt.

T H E O R E M A I V.

Unum est, quod est indivisum in se, & divisum ab alio quocunque.

T H E S I S I.

Unū est prima affectio entis; quia est absolutissima, ut ita dicamus.

2 Indivisum (ut ait *Aristoteles lib. 5. met. c. 6. t. 12.*) est unum aut formâ aut quantitate.

3 Non est reipsa distinctum ab ente, nec tamen est idem omnino cum ente, nec addit enti aliquid, quod reale & positivum sit, & ab ente formaliter distinguatur. Addit autem enti negationem divisionis per modum privationis, ut formaliter non includat ens. *Fonsca.*

4 Unum consideratur vel per se, vel per accidens. Unum quod per se consideratur, est ens quod unam habet integram essentiam, sive simplicem sive compositam, hoc est, quod præcisè habet ea, quæ ad essentiam, integritatem, vel complementum talis entis in suo genere per se & intrinsecè requiruntur. *Jacob. Mart. disp. met. 3. q. 6.* Unum hoc consideratur vel simpliciter vel secundum quid. Illo modo solum Deum di-

B

cimus unum, in quo non est multitudo aliquorum inter se differentium ac distinctorum. Hoc modo omne reliquum Ens unum dicitur, scilicet vel genere, vel specie, vel numero, vel analogiâ, vel continuitate, vel indivisibilitate, vel subjecto. Unum per accidens est, quod habet essentiam ex plurium aggregatione constantem: ut exercitus.

5 Aliâs Unitas in Theologia dicitur vel ratione essentia Dei, de quâ paulò post: vel respectu personæ, vel Patris vel Filii, ut *1. Cor. 8. v. 6.* vel Spiritus sancti, ut *Phil. 1. v. 27.* vel respectu concordia & consensus, *Joan. 17. v. 21. Act. 4. v. 32.* vel æqualitatis, *Job. 10. v. 30. Galat. 3. v. 28.* vel fidei, *Ephes. 4. v. 6.*

6 *Unitas predicatur de Deo ratione essentia ejus:* id est, Una est æterna divina essentia, communis personis, quæ aliâs natura dicitur: Quæ non cognoscitur positivè, nisi per effectum operum suorum, quamvis privativè & per negationem multiformiter in Scripturis denominetur. Huc pertinent Scripturæ sacræ testimonia. *Deut. 6. v. 4. Audi Israël, Jehovah, Deus noster Jehovah unus est. Ibid. 32. v. 39. 1. Cor. 8. v. 4. & 6. & 12. v. 6. Ephes. 4. v. 6. Et passim alibi.*

7 In una illa divina essentia sunt tres hypostasies, id est, tria vera ὑποστάσεις, seu tres personæ verè per se subsistentes, non commentitiæ, caducæ aut confusæ, sed distinctæ, singulares & intelligentes. Unitas enim essentia Dei non impedit hypostasium Trinitatem. Hoc non tantum sacræ Scripturæ tradunt (quod demonstrari potest ex *Matth. 3. v. 1. Joh. 5.* & aliis locis compluribus, ubi Deitas Patris, Filii & Spiritus sancti asseritur, & unaquæq; personarum istarum Solus Deus nuncupatur; ubi hoc observandum, particulam *Solus*, cum Deo tribuitur, non excludere incomprehensibilem illam Patris, Filii, & Spiritus sancti conjunctionem, sed falsorum deorum pluralitatem) sed etiam philosophorum aliquot literæ, & carmina Sibyllina confirmant, qualia vide in exerc. *Jacob. Martin. met. 4. lib. 2.*

8 Solâ autem fide tenendum est, Deum esse unum essentiâ, naturâ, divinitate, sententiâ, motione & operatione: trinum verò tribus personis, quarum singulis sua est hypostasis & proprietas, quæ tamen sic in Deo sunt, ut essentiâ, naturâ, divinitate, majestate, operatione, voluntate, potentiâ, honore & æternitate inter se communicent, sintque coessentialia & coæterna. Cum autem hoc credimus, non constituimus tres Deos, sed unius veri Dei inscrutabiles hypostasies exprimimus.

9 Natu-

9 Natura etiam ipsa nobis (qui jam credimus) imaginem, licet obscuram Sacrosanctæ, super substantialis, & omnia transcendentis & incomprehensibilis Trinitatis proponit in sole cognoscendam. In sole sunt hæc tria: indefinens lucis fons, splendor ex eo natus, calor ex utroque procedens ac spirans: nec tamen tres soles sunt, sed unus tantum. Sic, ut mens humana cogitando mox pingit imaginem rei cogitata: ita Pater æternus sese intuens, mox gignit cogitationem sui, quæ est imago ipsius substantialis: Et ut à voluntate fit motus, ita à voluntate patris procedit Spiritus agitator. Sic, ut in eodem homine non sunt tres spiritus, licet sint tres illius hypostases, quas licet appellare *ψυχήν*, *νῆν*, & *θυμὸν*, animam, quæ vivit & movetur; mentem, quæ intelligit, judicat & discriminat; animum, quo vult, non vult; odit, diligit; lætatur, tristatur, & vel bonus est, vel malus: Sic non sunt tres essentiæ divinæ, sed una, in qua tres hypostases sunt. Quemadmodum autem non intelligimus, quomodo anima gignat mentem, & animus ab utraque progrediatur: sic multò minus percipere possumus, quomodo Filius generetur à Patre, Spiritus sanctus ab utroque procedat. Sic pii & eruditi nonnulli Patres, & recentiores philosophi & Theologi, hoc mysteriū adumbrant: præsertim Tertullianus, qui ad ostendendam in natura SS. Trinitatis qualem cunq; imaginem, affert similia radicis, stipitis & fructus in arbore: Item fontis, fluminis & rivi in aqua.

10 *Ex unitate, quæ per se contrahit multitudinem, oritur totum, quod est vel perfectionale, vel essentielle, vel integrale.* Perfectionale, quod perfectissimum substantiæ complementum dicit, est solus Deus; cum sit sine omni parte, quandoquidem simplicissimus & purissimus actus est. Hic ipse dicitur Totus esse ubique, & in singulis *ubi* Totus, non quidem passivè, sed activè. Dicitur verò propterea totus ubique, & in singulis *ubi* totus, quòd partibus careat, & partium carentia hujus totius sit essentia; quippe quæ perfectissimam dat unitatem, & absolutissimam perfectionem & totalitatem. *Jacob. Mart. exer. met. 7. lib. 1.* Totum essenziale, est ipsum universale, ut animal. Totum integrale est, quod constat è partibus quantitativis: ut cælum.

T H E O R E M A V.

Verum est ens, congruens cum intellectu, adeoque tale est ut concipi possit.

T H E S I S I.

Concipitur verum vel formaliter, vel objectivè, vel objectivè consequenter. *Clariss. Dn. Praeses lib. 1. met. c. 7.* Illo & isto modo concipiuntur notiones primæ, hoc modo intelliguntur notiones secundæ.

2 Veritas tribuitur Deo, & quidem prima, tum in essendo, tum etiam intelligendo & dicendo, quæ in summo perfectionis gradu ei inest, cum semper & ex absoluta essendi necessitate sit id, quod est, & tanquam exemplar & mensura omnis veritatis, & quicquid cognoscit, verissimè & certissimè cognoscat, ita ut nunquam erret, neque errare possit.

3 Hinc *Suarez disp. 8. de verit. s. 2. t. 17.* perfectionem summam veritatis triplici modo Deo tribui docet, ratione essentiæ, intellectus, & voluntatis.

4 Cùm verum concipitur, concipitur vel conceptu Archetypo, vel Ectypo. Hic tantùm cadit in creaturas intelligentes, videlicet Angelos & homines: Ille cadit in solum Deum, quo Deus seipsum novit, atque omnia extra se, id est, per seipsum, hoc est, per suam essentiam & in seipso. Ille variat in Deo, nempe respectu vel sui ipsius, quo ipse se primariò cognoscit; vel creaturarum, quo omnia alia à se in essentia, velut rerum extra se exemplari, semel & simul distinctè cognoscit. *Zanchius de natur. Dei.*

T H E O R E M A VI.

Bonum est ens congruens cum voluntate.

T H E S I S I.

Bonum putant dictum quasi duonum, à voce Deus.

2 Bonum accipitur pro eo, quod unicuiq; conveniens est, ideoq; est appetibile. Estque aliud bonum per se, suâ naturâ & essentialiter, aliud per participationem.

3 Illo modo Deus dicitur bonus: non habens ab alio rationem bonitatis, sed propter quem reliqua dicuntur bona, quiq; per nullum adjunctum, quale quale fuerit, melior redditur: Quo sensu à Christo ipse solus bonus dicitur: scilicet in se & extra se, non accidentaliter, non per participationem, non mutabiliter, sed essentialiter, à se & immutabiliter.

4 Omnia quæcunque à Deo creata sunt, sive sint simplicis essentia:

sentia:

fentiæ, sive compositæ, bona sunt per participationem, ita à Deo formata. Unde in historia creationis omnes Dei creaturæ bonæ dicuntur. Sic Paulus *1. ad Tim. 4.* omnem creaturam bonã dicit. Augustinus passim usurpat illud: Omne quod est, in quantum est, bonum est. Item *Thom. 1. part. 1. q. 5. art. 3.* Quod notandum est contra Manichæos & Priscillianistas, qui quasdam creaturas Dei malas esse docuerunt, ab aliquo principio extremè malo profectas. Vide *Aug. tom. 6. de heres. heresi 46. Niceph. lib. 6. histor. 31. Eusebius lib. 7. c. 28.* Atque ea de causa Manichæi malum substantiam quandam esse, à primo principio malo profectam dictitant; quod quàm absurdum sit, quàm falsum, ii, qui primis tantùm, quod ajunt, labris Metaphysicam degustarunt, perspiciunt. Malum enim nihil aliud est quàm privatio perfectionis debitæ inesse, vel defectus boni, quod natum est haberi: adeoque non est res positiva, quatenus consideratur formaliter: aliàs materialiter consideratum malum, secundùm quid Ens positivum est. Et quia non est res positiva, substantia quoque esse nequit. Neque planè negativum quid est, sed tertium, videlicet privativum. Neque est nuda privatio, sed privatio substituens vel actum, vel habitum vitiosum: unde malum opponitur bono, nunc positivè, nunc privativè: quatenus sunt vel adversa, vel privantia. Habet præterea malum causam efficientem, sed tantùm per accidens. Efficiens enim per se non efficit nisi in se bonum aliquid; cùm talis efficiens non efficiat effectum toto genere à se distinctum. Causa igitur per accidens conceditur, quæ causa deficiens magis, quàm efficiens causa est dicenda.

5 Bonitas est independens & illimitata, ut solius Dei: independens & limitata in Christo mediatore: dependens sed illimitata, ut *S. Scripturæ*: dependens & limitata, ut naturæ. *Dominus Præses lib. 1. met. c. 8.* Jam de actu agamus.

T H E O R E M A VII.

Actus, vel dirigitur ad potentiam perficiendam, vel dicit immunitatem omnem à potentiâ.

T H E S I S I.

Actus purus est, qui est absolutus à respectu ad materiam.

2. Hinc dicimus Deum actum purissimum cum Scaligero, qui

B 3

Deum solum purum actum appellat. Non solum enim sine omni omnino potentia passiva est: sed etiam omnium primus actus est, quandoquidem omnibus reliquis causam præbet. Qui Dei actus prout actus est, ad nihil refertur, sed suus solius est, & ipse sibi, & hoc, quod est.

3 In hoc actu actus essentiæ & existentiæ non differunt, cum nihil potentiæ hinc includatur.

4 Intelligentias etiam actus puros dicimus, non quòd aliquid perficiant seu actuent, sed quòd hi actus perfecti in se sint, ut in perfectione formali à nullo alio dependeant, nec ad alterius formalem perfectionem ordinentur. Vid. *Scalig. exerc. 359. f. 2.*

T H E O R E M A V I I I .

Actus quò purior est, eò simplicior.

T H E S I S I .

Evincitur exinde simplicissima Dei essentia, quæ sub se continet reliqua entia omnia, quæ suo modo composita sunt.

2 Hinc observa, superlativas illas voces (puta actus purissimus, simplicissimus, perfectissimus, sapientissimus, &c.) cum collationem quandam aliorum quorundam includant, hominibus magis convenire quàm Deo, cui sine detrimento divinæ majestatis & excellentiæ tribui non possunt: præsertim cum sit solus bonus, solus simplex, solus perfectus, solus sapiens.

3 Est autem *simplex*, quod negat omnem compositionem, & est vel tale simpliciter vel secundum quid.

4 Illo modo Deus dicitur Ens simpliciter simplex, quia omnis omnino compositionis (sive ea sit ex esse & essentia, qualis est angelorum; sive ex materia & forma, quæ est corporum naturalium, sive alius generis) omnisq; divisionis, multiplicationis, accidentis, adeoq; omnis mutationis expers est. Patet hæc simplicitas ex epist. ad *Rom. 1. v. 23. 1. Tim. 1. v. 17. Jacob. 1. v. 17.* Hinc saniores Ethnici Deum adeò simplicem crediderunt, ut statuerint, eum nullâ imagine representari debere.

5 Altero modo omnis creatura simplex dici potest: Spiritualis per negationem aliquam compositionis, quæ est ex materia: Sic dicitur anima simplex, licet dicatur multiplex in virtute seu potentia operandi: Homo dicitur simplex in intellectu qui aliàs corpore compositus est.

est. Materia prima dicitur simplex, quia omnium indiget, per negationem perfectionis. Non enim est ens absolutum seu completum.

6 Ex simplicissima hac Dei essentia elucet ejus invisibilitas.

7 Non autem est invisibilis, quemadmodum corpus glorificatum invisibile est oculo non clarificato, ut ait Goclenius, quod difficulter videri potest propter excessum luminis: sed nullo modo visibilis est. Invisibilis, inquam, essentiâ est, verum operatione, virtute & bonitate sic seipsum declarat, ut intellectus hominis, nisi planè excæcatus, facile ex operibus ejus cognoscere possit, quòd, quid & qualis sit Deus. Unde non sequitur, Deus non potest videri, Ergo non est. Vox non videtur, auditur tamen: odor non videtur, efficacissimè tamen olfactu sentitur: Animam suam nemo videt, quis tamen propterea se animam habere negabit?

8 Confirmat hoc Scriptura, cùm Deum appellat Spiritum, *Joh. 4. v. 24. 2. Cor. 3. v. 17.*

9 Unde palpabilis error Anthropomorphitarum cernitur, qui Deo corpus humanâ figurâ formatum, & membris articulatum tribuerunt. *Tertullianus* quidem *libro contra Praxeam* Deum corpus dicit, sed latissimâ significatione: quatenus scilicet corpus sumitur κατὰ ἄρρητον, & idem est quod Ens revera existens. Quemadmodum uspiâ usurpatum legitur etiam in sacris literis pro essentia cujuslibet rei: ut ad *Coloss. 2. v. 9. & 17.* ubi Apostolus vocem corporis admodum latè pro solida cujuslibet rei veritate & substantia, ut ex collatione cum *Hebr. 10. v. 1.* apparet, usurpavit. Et sic rectè Deo corpus, hoc est, veram & solidam substantiam tribuimus, non corpus ex materia & forma compositum, humanâ figurâ formatum, & membris articulatum. Idcirco cùm Deo in sacris literis membra corporis humani attribuuntur, fit illud per ἀνθρωπομορφίαν.

10 Quoniam Deus omnis compositionis & divisionis expers est, etiam est immutabilis ejus essentia & invariabilis omnimodâ immutabilitate, id est absolutè ad unum oppositorum (quod videlicet est optimum) semper determinata. Sic immutabilia sunt omnia opera ipsius, & quidem vel absolutè, quæ pendent ex simplici naturæ divinæ necessitate, ut generatio Filii Dei, & processio Spiritus sancti; vel ex hypothese divinæ ordinationis seu constitutionis, ut salvatio hominum per Christum. Immutabilitatem Dei probat *Jacobus c. 1. v. 17. Malach. 3. v. 16.*

Psal. 102. v. 27. & 28. Rom. 1. v. 16. Rom. 11. v. 29. Scilicet immutabilis Deus est, tum ratione essentiae, tum ratione voluntatis.

T H E O R E M A I X.

Infinitem est, quod mensurâ nullâ mensurari potest.

T H E S I S I.

Infinitem dicitur vel absolutè, vel relatè.

2 Deus est infinitus secundum substantiam, non secundum quantitatem, neque qualitatem (nisi illa analogicè accipiatur) per se, non per aliud, ἀπλῶς non κτ' π, actu non potentiâ, negativè non privativè.

3 Materia prima infinita dicitur potentiâ, quatenus in potentia est ad omnes formas, seu quatenus est indeterminata & non restricta ad certam formam. Hoc infinitum quibusdam dicitur infinitum privationis.

4 Corpus dicitur infinitum secundum potentiam materiae suae, quatenus propter materiam capax est infinitarum formarum accidentalium: Corpus autem actu dari infinitum, ἀδύνατον est. Esset enim illud corpus vel unicum & infinitum, quod falsum est, vel essent multa corpora infinita, quod absurdum, quia alterum ad alterum terminaretur.

5 Deus est infinitus tum ratione essentiae, tum ratione virtutis, tum etiam ratione durationis.

6 Infinitas essentiae divinae includit Illocalitatem & Immensitatem.

7 Illocalitas est immunitas essentiae divinae ab omni prorsus loci realis & propriè dicti in quo existat indigentia & necessitate. *Timpl. lib. 2. met. c. 5. th. 2.* Ipse enim sibi αὐταρκέσας, id est, sibi per omnia sufficiens, unde Damascenus: Ipse Deus sibi locus est omnia implens & super omnia existens, & ipse omnia continens, *lib. 1. orth. fid. c. 3.* Illocalitas illa Dei evincitur ex testimoniis sacris, *1. Reg. 8. v. 27. Esai. 66. v. 1. Act. 7. vers. 28.*

8 Immensitas naturae divinae est, quâ Deus in mundo & extra mundum ubiq; praesens est & essentia & virtute. *Psal. 145. v. 3. 1. Reg. 8. v. 27. Jerem. 23. v. 23. & 24. Psalm. 139. v. 7. & seqq.*

9 Non

9 Non enim more aliarum rerum aliquo loco concluditur, secundum essentiam & virtutem suam; quia sic finiretur, adeoque patere-
tur, & per consequens Deus non esset. Unde Elias Cretensis Episcopus,
Deum ubiq; & tamen nusquam esse dicitur. Ais: si Deus est ubiq; per
essentiam, aut totus est in singulis rebus, aut non: Si totus est in singulis
rebus, v. g. in puncto circuli, finitus est. Si non, divisibilis est. Resp. Prior
illa consequentia nulla est. Nam spiritus ubi ubi est, totus est, ut philo-
sophi prolixè probant.

10 Ubique Deus est, & in omnibus creaturis essentiam suam, nec
tamen commiscet suam essentiam creatorum substantiam, nec fit pars il-
lius. Exserit igitur se *δυνάμει* & *ἐνεργεία*, virtute & effectione, ideoque
actionibus & effectis tantum cognoscitur & discernitur, & hoc modo
liberè adest creaturis omnibus, agens atque efficiens in singulis quæ &
quanta vult. Lege hac de re *Peucerum de divinat. passim.*

11 Colligitur ex omnipræsentia Dei ipsius omniscientia, & in-
effabilis sapientia, quâ Deus omnia omnino, universalia & singula-
ria, necessaria & contingencia, præsentia, præterita & futura, simplicissi-
mo actu & intuitu, æternum & immutabiliter, distinctè & infallibiliter
novit. *Ezech. 11. v. 5. Heb. 4. v. 13. Psalm. 137. v. 5.* Unde in Scriptura *αὐτοῦ*
ὄψιν vocatur, *1. Reg. 28. v. 9. Psalm. 139. v. 1. & 2.*

12 Sapientia Dei dicitur, vel respectu Dei Patris, vel respectu
nostri. Respectu Dei Patris dicitur Sapientia, quâ Deus ipse Pater
pollet, quo modo Filius Dei Sapientia Dei dicitur, *1. Corinth. 1. vers.*
24. qua de causa & Christus hoc nomine se insignit. *Luc. 11. v. 49.* Respe-
ctu nostri dicitur, quâ Deus nos exornat, quo sensu ponitur 1. pro
mundi opificio, *1. Cor. 1. v. 21.* 2. pro Filio Dei in carne manifestato, *1. Cor.*
1. v. 30. 3. pro Evangelii negotio, *1. Cor. 2. v. 27.* 4. pro vera seu perfecta
judicandi facultate, *1. Reg. 8. v. 28.* 5. pro perfecta legis notitia, quâ sci-
mus, quâ ratione homines pro circumstantiarum ratione doceri de-
beant, quales in Republica Magistratus eligendi, quomodo judicia
exercenda, quomodo fontes puniendi. Sic sumitur *Esdr. 7. v. 25.*

13 *Virtus Dei infinita* dicitur: 1. ratione effecti, quia non contra-
hitur ad aliquos effectus, cum omnem virtutem producat. 2. compa-
ratione cum aliis, quia est super omnem virtutem. 3. ratione actionum
ad effectus terminatarum: quia non terminatur per ea quæ sunt, cum
possit infinitis modis virtutes alias infinitas producere, præter eas, que

C

sunt, ut tamen non debilitetur ejus actio omnis virtutis effectrix.
4. Quia non terminatur intellectu, id est, ineffabilis est, nec satis comprehendi potest. *Goclen. lex. philos. pag. 238.*

14 Illa virtutis divinæ infinitas Omnipotentia in sacris literis nuncupatur, quâ Deus omnia in omnibus, quando & quomodocunq; libet, potest efficere atque operari: & est vel absoluta, qua Deus plura potest velle aut facere, quàm vult aut facit, *Mat. 3. v. 9. 26. v. 53.* vel est actualis, quâ Deus quicquid vult reipsâ facit.

15 Cùm Deus dicitur potens, nulla passiva in eo potentia animo nobis est concipienda: cùm dicitur omnipotens, non dicitur Deum omnia posse, ita ut possit etiam ea, quæ cum proprietatibus ejus pugnant, aut ejus naturæ adversantur: ut sunt, quæ contradictionem implicant, defectum aut impotentiam arguunt.

16 *Infinitus ratione durationis* dicitur Deus, quatenus est **ÆTERNUS**, tum à priori, tum à posteriori, quandoquidem omnis principii & finis expers est, nullamque sui innovationem unquam experitur. Solus igitur Deus *ἀλόφυνος* est, ut loquitur Plato, & ut Scaliger *ἀύλωνος*, & ut Damascenus *ἐστὶν ἡ ἀεὶ ὄντων ἡ ἀεὶ ὄντων, ἀεὶ ὄντων ἡ ἀεὶ ὄντων*. Idem confirmat Scriptura, *Psal. 90. v. 2. & 4. Jes. 44. v. 6. Dan. 7. v. 13. Rom. 16. v. 26. Hebr. 8. v. 8. Apocal. 1. v. 8. & passim.*

17 Ob similitudinem, & per participationem angelorum vita est æterna, sed tantum à posteriori. Eadem animarum nostrarum est conditio, quibus competit immortalitas ex gratia creationis. Corpora beatorum æterna erunt, hoc est, incorruptibilitatem & immortalitatem habebunt ex gratia doni.

18 *Æternitas* removet tempus à natura Dei. Tempus enim idioma proprium corporum est: ævum spirituum creatorum: æternitas solius Dei. Duratio igitur & tempus arguunt se ut genus & species: Et continentur omnes temporis differentiæ in æternitate, non tanquam partes in toto, neq; formaliter, sed eminenter. Tempus enim *ἄποκλεισμάτιον* æternitatis est, & in primis *τὸ νῦν* semper fluens.

THEOREMA X.

Independens est, quod est primum, vel in aliquo genere; vel simpliciter.

THE-

T H E S I S I.

Independens dicitur, tum quòd non eget priori ad suum esse: tum, quòd tametsi non sit absolutum à causa, tamen absolutum est à termino & subjecto.

2 Dicitur Deus independens priori significatione, quia à seipso est, & à nullo alio existit. *Scalig. exerc. 307. f. 20.* Ab eo cætera omnia dependent tum essentialiter, & quoad essentiam, & quoad existentiam; tum accidentaliter.

3 Quæritur, *An in divinitate detur dependentia?* Essentia divina excludit omnem omnino dependentiam, tam absolutam, quam contractam. Idem de persona Patris sentiendum: In secunda tamen & tertia persona dependentia admitti potest absoluta, eo sensu, quo Filius dicitur à Patre genitus, & Spiritus sanctus ab utroque procedere; qui modus dependentiæ spectat personarum ab invicem emanationem. *Zanchius lib. 5. de trib. Elohim. c. 7. Combach. cap. 15. met.*

4 *Goclen. pag. 511. lex. phil.* dicit, esse dependentiam mutuam Filii ad Patrem, & Patris ad Filium, ut relatorum ad correlata.

T H E O R E M A X I.

Perfectum est, cui nihil ad naturæ suæ complementum deesse intelligitur.

T H E S I S I.

Estque tale vel simpliciter, vel secundum quid.

2 Deus est Ens perfectum simpliciter, ita *αὐτάρκης*, ut nullâ re indigeat, ut summa nostra perfectio ab ipso solo promanet, eique ascribenda sit. Ut non immeritò *Dionys. de divin. nom. c. 13.* eum ultra omnem perfectionem elevaverit. Et *Hermes dial. 5.* Omnia in te, ô ens, omnia ex te, omnia das & nihil accipis: omnia habes, & nihil quod non habes.

3 Omnis perfectio, quæ modo quodam participato & limitato est in creaturis, sublimiori modo est in creatore Deo. *Alex. de Alex. 5. met. tract. 20.* Unde rectè *Jamblichus de myst. Ægypt.* eum omnis intelligibilis radicem & supereminentiam nominavit. Hic tamen observandum: Creaturas etiam absolutè perfectas dici posse, quando scilicet extra collationem ad Deum, sumuntur. Sic in quantitate totus mundus est perfectus, quum omnem in se contineat quantitatem: *Aristot. lib. 1. de cælo text. 3.*

4 Omnes perfectiones sunt in Deo, non per modum compositionis, sed per modum simplicis essentiae ac virtute.

T H E O R E M A X I I .

Perfectionem essentiae sequitur perfectio actuum.

T H E S I S I .

Ad perfectionem naturae divinae pertinet summa ejus justitia, quam in omnibus suis operibus ita justus est, ut nulla creatura jure possit conqueri sibi ullam à Deo injuriam fieri, sive justitiae illius ratio manifesta sit, sive occulta. *Psalmo 11. v. 7. Psalm. 5. v. 4.*

2 Illa est vel disponens, quam Deus omnia liberrimè & rectissimè in actionibus suis disponit, *Psalm. 145. vers. 17.* vel retribuens, quam Deus unicuique reddit secundum opera ipsius. *Jerem. 51. v. 56. 2. Thes. 1. v. 6. 1. Pet. 1. v. 17.* Estque vel misericordia, vel justissima ira.

3 Misericordia Dei est, quam Deus per naturam liberaliter pronus, & benigniter promptus est, ad benefaciendum & succurrendum miseris, *1. Tim. 4. v. 10.* Miseretur autem quorum vult, *Rom. 9. v. 18.* Dicitur aliàs *justitia remunerans.*

4 Ira Dei justissima est, quam Deus justissimo judicio peccantibus poenam infert, *Rom. 1. v. 18. Joh. 3. v. 36.* Dicitur aliàs *justitia puniens,* & simpliciter *justitia.*

E P I L O G U S .

HÆc de prima substantiae specie, increata videlicet, Deo Optimo Maximo, satis dicta sunt: dabitur aliquando, volente Deo, occasio de substantiâ creatâ, tum spirituali, tum corporeâ, disputandi.

Quæ de Deo tractavimus, maximam partem philosophicis accommodavimus, unde (primam dicimus philosophiam) generalia illa entium attributa, quorum multa suo modo creaturæ cum creatore communia habent, deprompsimus. Tibi Deo uni & Trino, summè & perfectè bono, pro præstitis nobis beneficiis, & exhibitâ gratiâ

Spiritus sancti, sit laus, honor & gloria in omnem æternitatem, Amen.

F I N I S .

* dieses: cf. Schrift 3) 1 p. 8

gen: (von Marco Antonio de Dominis verfertigt)

 B. GÖRICH
Siemensstraße 8
3550 Marburg/L.
Tel.: 06421/81399
BUCHBINDEREI







DISPUTATIO META-
PHYSICA
De
SUBSTANTIA
INCREATA, DEO
OPTIMO MAXIMO.
Quam
AUXILIANTE EODEM,
Fretus patrocinio
CLARISSIMI ET ACUTISSIMI
PHILOSOPHI, DN. JOHANNIS HENRICI ALSTE-
DII, Professoris in illustri Nassoviorum Gy-
mnasio, publicè examinandam
proponit
JOHANNES IRLÉN, SIGE-
NENSIS, NASSOVIVS.
Deus honoratur silentio & voce.
☉(o)☉
Herbornæ Nassoviorum, 1615.

Michel 20